

NUMMVS TRIUMPHALIS
CUSUS BREDANA ARCE ATQUE URBE

à Mauritio, stratagemate captis: Anno
Christi 1590.



Eros Mauritius, cum de recuperandâ urbe Bredâ, ad avitum patrimonium suum spectante, sollicitius cogitaret, stratagemate id potius, quàm apertâ opugnatione tentandum esse, statuit. Profectus sub finem Februarij, cum Comite Holachio, & exercitu Sevenbergam, Montes Gertrudis obsidere se velle simulat: & iam hic rumor vicina loca pervaserat, fore, ut urbs ea obsidione cingatur. Gubernator urbis Bredanæ cò profectus, omnia ad defensionem præ-

parat: id quod peropportunè accidit Nassovio, qui absente Gubernatore consilium suum maturandum esse duxit. Erat nauta quidam, qui cespites (quibus nutriendis ignibus utuntur) ex more in arcem Bredanam advehere solebat, cum quo ita egit Nassovius, ut navis ipsius tecto depresso tegetur, ad milites 70. recipiendos: eidem deinde cespites arefacti, in formam laterum, ordine & altè imponentur: militum præfectus esset Carolus Heraugirius, vir nobilis & bello acer. Nauta, vento contrario repulsus, bi-duo tardius Bredam veniebat, quam sperabatur: tertio demum die sub vespere in arcem navem subvehens. Hyems quia aspera erat, cespitibusque in arce egerent, statim navem exonerare cæperunt præsidarij, usque dum nox immineret, cespitibus residuis in navi relictis. Quin & nauta se ex itinere defessum dicens, iubebat ut tantum sumerent cespitem, quantum eâ nocte in excubiis, suisque stationibus egerent: reliquum postridiè exportarent. Consilium namque nautæ erat, hoc modo baiulos remove-
re, ne exoneratâ penitus navi fraus detegeretur. Militibus, qui sub cespitibus latitantes, ubi gentium essent, ignorabant, præfectus consilium stratagematis exponit, & ut se viros præberent exhortatur: Esse namque eos in loco ubi ante auroram insignem pararent victoriam, prædamque opulentissimam reportarent. Profundâ nocte, cum præsidarij omnes exceptis solitis excubiis, altum sterterent, milites navi egressi, facili negotio, paucisque desideratis, omnes vigilum stationes occupant, toto paulo post castro in potestatem suam redacto. Cum insuper Nassovio & Holachio signum, de quo